



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo Annunciationis Deiparæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)



IN FESTO  
ANNUNCIATIONIS  
DEIPARÆ.

I.

*Gratia plena. Luc. 1.*

Summus honor à DEO Mariæ collatus est, dum eam omni implevit gratia, ut fieret Mater DEI: Par igitur est, ut ipsam honoremus & nos exemplo DEI: verùm dum ipsa in exaltatione sua tam profundè se humiliavit, æquum est, ut & nos peccatores humilitatem ipsius Virginis exemplo amplectamur. *Mense XII, Disc. 363. pag. 492.*

2.

*Ecce Ancilla Domini. Luc. 1.*

Electa erat Maria in Matrem Dei; offerebatur dignitas, qua nulla poterat esse major inter omnes creaturas; ipsa tamen non efferebatur superbiâ, sed profundissimè se humiliabat. Hæc eximia humilitatis virtus ipsam ejus virginitatem quodammodo supergressa videtur; nam sic S. Bernardus: *Virginitate placuit, humilitate concepit.* Cur non & nos miseri virtutem tam pulchram amplectimur? hæc omnibus hominum conditionibus ornamento, imò & necessaria est, maximè miseris & pauperibus,



bus, cùm DEO abominabilis sit pauper super-  
bus. *Mense IX. Disc. 262. pag. 287. ad num. 9.*

3.

*Ecce Ancilla Domini. Luc. 1.*

Quo major est personæ dignitas, eò admi-  
rabilior humilitas: hæc Davidem pœnitentem,  
hæc Manassen Regem veniam in vinculis pe-  
tentem erexit, Deoque conciliavit: hæc ma-  
ximè in Maria enituit. Ornat humilitas misè-  
ros; verùm majori ornamento est potentibus,  
divitibus, sapientibus. *Mense IX. Disc. 262.  
pag. 298. à num. 9. ad finem.*

4.

*Ecce Ancilla Domini. Luc. 1.*

Quid, quæso, videbat Maria in se, ut tam  
profundè se humiliaret? nōne primùm salu-  
tata erat gratia plena? nōne designata Mater  
DEI? nōne omnis peccati expertem se nove-  
rat? sed tamen se humiliat, quia se creaturam  
noverat DEO subjectissimam: quia, quidquid  
in se bonum videbat, totum gratiæ DEI tri-  
buebat &c. Erubescamus nos miseri, & stu-  
deat unusquisque cognoscere semetipsum;  
nam cognitio sui Mater est humilitatis. *Men-  
se IX. Disc. 259. pag. 237.*